

liaribus circumstantiis, Capitulo Oratoris precibus ita annuendum esse censuit, ut singulis Feriis VI., conventuali Missa absoluta, Celebrans, sacris vestibus in Sacristia depositis ac supperpelliceo tantum indutus legat D. N. J. Chr. Passionem secundum Joannem in adimplementum dicti oneris, quaecumque fuerit illius origo; exceptas tamen ab hac lege voluit Feras VI. occurrentes infra Octavas privilegiatas vel in quibus fiat Officium de Festo duplici I. vel II. cl. vel et quandoque de Vigilia Nativitatis D. N. J. Chr., in quibus pro oneris implemento sat erit specialis in Memento mortuorum commemoratio pro fundatore vel fundatoribus. Quod si in fundatione habeantur clausulae et conditiones, quae derogatione et dispensatione indigeant, iisdem per praesentem commutationis formam derogavit ac dispensavit. Quibuscumque in contrarium facientibus minime obstantibus.

N. 4567 die 11. Julii 1820.

PATENA.

1) In Communione Fidelium.

Patena suppositionem per Sacerdotem, cotta indutum, in Communione gener., quae per Dignitates agitur, retinendam (in Ecclesia Cath. Andrien.). n. 2127 die 3. Sept. 1661.

Celebrans, qui non habet usum pontificalium, in distribuenda s. Communionem non potest sibi teneri facere per Subdiaconum patenam. n. 2791 ad 2 die 13. Junii 1676.

Vd.: *Assistens Sacerdotis noviter consecrati.*

2) Consecratio a Sacerdote.

Vd.: *Oleum s.* (Consecr. et temp., decr. Pii VI. t. II. p. 425.)

3) Crux.

Signum cum Patena faciendum est a Sacerdote a fronte ad pectus, id est, signum integrum crucis, dum dicit Orationem: *Libera nos quaesumus Domine.* n. 677 ad 4 die 13. Mart. 1627.

4) Defert. a Subdiacono.

Ad dubium: an Subdiaconus praeterquam in Missis defunctorum et Feria VI. in Parasceve Patenam tenere debeat?

S. C. resp.: *Nihil inovari.* n. 2082 ad 2 die 20. Novb. 1660.

Ad idem dubium S. C. resp.: *Archiepiscopus provideat.* n. 2083 ad 2 die 11. Decb. 1660.

Ad dubium: Utrum in II. et III. Missa cantata in die Nativ. Dom. Subdiaconus debeat sustinere Patenam, quum ipsa prius superposita fuerit Calici nondum purificato et reservato in Tabernaculo post I. Missam vel potius eam relinquere super Corporale et agere ut in Missa pro Defunctis?

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Sustinendam esse de more Patenam.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 6 die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Subd.* (tenet Pat.)

5) Execratio.

Vd.: *Execratio calicum etc.*

6) Osculum.

Post signum crucis factum dicta oratione: *Libera nos quaesumus Dom. etc.* Patenam esse deosculandam. n. 677 ad 4 die 13. Mart. 1627.

Patena osculanda est a Celebrante, cum dicitur: *Da pacem etc.*, in extremitate seu ora Patenae congruen-

tius. n. 3025 ad 5 die 24. Julii 1683.

Cf.: *Osculum in porrig. Patena etc.*; *Osculum* (in Parasc.)

PATER NOSTER.

In Officio.

Vd.: *Officium* (Pater noster.)

PATER REVERENDE.

Vd.: *Reverend.*

PATRIA SANCTORUM.

Vd.: *Cognomina Sanctor.*

PATRIARCHAE RELIGIONUM.

Qui sunt?

Ad dubium: Quinam pro Patriarchis Religionum intelligendi sunt?

S. C. resp.: Intelligendos esse illos, de quibus Ecclesia Cathol. celebrat Officium et Missam. n. 4247 ad 3 die 7. Sept. 1754.

S. PATRICIUS.

Quid mutandum in ejus missa?
Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 22.).

PATRINUS.

Vd.: *Assistens; Presbyter assist.*

PATROCINIUM S. JOSEPH.

1) Antiphonae.

Vd.: *Patroc. s. Jos.* (transl. decr. n. 4442 ad dub. 2.)

2) Festum.

URBIS ET ORBIS.

Inclutus Patriarcha Joseph, quem Omnipotens Pater singularibus gratiis auxit ac charismatibus coelestibus ab-

unde cumulavit, ut unigeniti Filii sui putativus Pater esset ac verus Sponsus Reginae Mundi et Dominae Angelorum, tam sublimis electionis partes omnes muniaque adeo perfecte explevit, ut boni fidelisque Servi encomium meruerit et praemia. Etenim memor semper praecellentis dignitatis suae ac sanctitatis nobilium officiorum, quae a Divina Sapientia praeficiebatur, ipsius Dei consiliis et voluntati alacritate propemodum inenarrabili in omnibus indesinenter paruit placensque Deo factus est dilectus, donec gratia et honore coronatus in Coelis novum susciperet officium, nimirum ut copiosis meritis et orationis suffragio miserrimae subveniret hominum conditioni, atque validissima intercessione, quae possibilitas humana obtinere nequit, Mundo impetraret. Hinc passim misericors veneratur ad Deum Mediator efficaxque Patronus, ejusque Patrocinii Festum cum Officio ac Missa longe lateque instituitur Dom. III., quae a Paschalibus gaudiis occurrit. Verum quod unum adhuc exoptandum supererat, nimirum ut Officium Patrocinii S. Joseph de praeecepto ad universalem extenderetur Eccl., id Emus et Rmus D. Card. Constantinus Patrici a SS. D. N. Pio Papa IX. humillimis precibus proprio et aliorum S. R. E. Card. ac quamplurium etiam exterorum Fidelium nomine porrectis enixe imploravit. Quas quidem preces apprime conformes singulari pietati suae erga S. Josephum Apost. Benignitate excipiens SSMus idem D., referente subscripto S. R. C. Secretario, benigne in omnibus annuit praecepitque ut deinceps ab utroque Clero Urbis et Orbis sub ritu dupl. II. Cl. persolvatur Officium proprium cum Missa Patrocinii S. Joseph Dom. III. p. Pascha, qua impedita alio Officio potioris ritus vel majoris dignitatis, indulsit, ut Officium

S. C. resp.: *Officium* de octava, festum vero Patrocini illo anno omitatur quoad *Officium*; quo vero ad *missam* possunt cantari duae, altera de octava, altera de festo. n. 2223 ad 1 die 16. Junii 1633; n. 3547 die 23. Jan. 1700.

Cadente in Hispania *Officio* Patrocini B. V. M. ex ap. Ind. celebrando dom. 2. Novbr. in die octava Omnium SS. faciendum esse *Offic.* de octava et *Offic.* Patrocini non esse transferendum sed eo anno omittendum. n. 2395 ad 2 die 13. Septbr. 1692.

Cf.: *Transl. festor. B. M. V. ejusd. ritus* (decr. de die 22. Julii 1848); vd. inf. decr. n. 2602; 2558 et 3038, 3040, 4442, 4102.

Diem dominicam semel statutam ab Ordinario pro celebranda in regnis Hispaniarum festivitate Patronatus B. V. M. ad formam privilegii ultimo loco concessi variari non posse. Et cadente dicta die dominica aliquo festo sub ritu duplici esse transferendum festum suapte natura transferibile, nempe appositum in Breviario. n. 2413 ad 3 die 2. Apr. 1667.

In Hispania celebratur festum Patrocini B. V. M. in dominica 2. Novbr. sub ritu dupl. maj., attamen in dicta dominica aliquibus annis et in praesenti occurrit octava dies festivitatis Omn. SS.; dubitatur, quid faciendum?

S. C. resp.: Fiat *Officium* de B. V. Maria Patrona cum commem. octavae. n. 2558 die 12. Sept. 1671.

Ad idem dubium S. C. n. 3038 ad 1 die 2. Octbr. 1683 resp.: *Assignetur tertia dominica.*

Ad preces Caeremoniarum Cathedralis *Conchen.* S. C. declaravit: Transferenda est festivitas Patrocini B. V. M. ad primam diem non impeditam *Officio* 9 Lect., quando in 2. dominica Novbr. occurrit octava SS. n. 2602 ad 1 die 3. Sept. 1672.

Pro Ecclesia Cath. Lycien. ultima ex

dominicis a Pentecoste usque ad Adventum pro *Officio* Patrocini B. V. M. assignata est, sed hoc anno eadem dominica occurrat festum Praesentationis B. V. M. sub eodem ritu. Quid agendum?

S. C. resp.: Praefatum *Officium*, si in dominica assignata recitari nequeat, non est transferendum sed eo anno omitti debet. n. 3172 ad 3 die 25. Sept. 1688.

Quando festum Patrocini B. V. M., quod in dominicis decernitur celebrandum, impeditur aliquo festo dupl. 1. vel 2. cl. vel dupl. maj. vel de octava, eo anno omittendum est vel recurrendum pro assignatione alterius dominicae ad S. C. n. 3040 ad 4 die 20. Novbr. 1683.

Ad dubium: Cum ex apostolica concessione in omnibus dominiis Hispaniarum regi subjectis celebretur ritu dupl. maj. festum Patrocini B. M. V. in aliqua dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, quae in dioecesi Barcinonensi aliisque est dominica secunda ejusdem mensis, si in eadem dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi et Martyris Patroni principalis, quaeritur: Utrum recitandum sit *Officium* Patrocini B. M. V. cum commemoratione octavae, an potius *Officium* de octava, translato vel omisso pro anno illo *Officio* Patrocini?

S. eadem C. resp.: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam; *Officium* vero Patrocini non omittendum sed transferendum in primam diem non impeditam juxta Rubricas.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4442 ad 5 die 11. Septbr. 1790.

Stante concessione recitandi *Officium* B. V. M. dominica Novbr. ab Ordinario loci assignanda, quaeritur a Cathedrali Nolanae: si per totum praefatum mensem a duplicibus 1. cl. cum octavis dominicae sint impeditae, *Officium* Patrocini in hoc casu omittendum re-

citandumque in octava an vero transferendum?

S. C. resp.: Pro gratia transferendi servatis rubricis de translato festorum. n. 4102 ad 1 die 1. Octbr. 1740.

Ad dubium PP. Minor. in Angelorum provincia: an in festo Patrocini B. V. M., cum transfertur ad Adventum, *Officium* sumi debeat ex dicto tempore vel potius de festo B. V. M. ad Nives? Et cum in aliquibus Breviariis in Antiphona ad *Magnif.* et Resp. 8. legantur: *Tuum s. Patrocini*, et in aliis: *Tuam s. Festivitatem*: quaeritur: Quenam ex his duabus lectionibus amplecti debeat?

S. C. resp.: Nihil imutandum praeter IX. Antiphon., subrogatur *Angelus Dom. etc.* et V. Gradualis in Missa. In Antiphona et Respons. legendum: *Tuum s. Patrocini*. n. 4549 ad 6 die 25. Aug. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Cum festum Patrocini B. M. V. non ad ullum Mysterium referatur, sed ideo institutum fuerit, ut ejus meritis et precibus nobis Deus propitius fiat, peculiarem et propriam non habet Missam sed illam ex Votivis, quae temporari convenit. Quoniam autem pro eo recolendo statuta est vel dom. 2. Novbr. vel alia certa dies intra eundem mensem, bene stat, quod ex Votivis legi illa debeat, quae in Missali assignatur, videlicet a Pentecoste ad Adventum, quin aliqua tradita fuerit regula pro casu translationis ad tempus Adventus; nec proinde decisum, utrum hoc adveniente casu eadem retinenda sit Missa, an potius in aliam temporis propriam commutanda. Nam Decretis S. R. C. festa, quae sunt certis affixa diebus, dum impedimentum occurrit, omitti debent non transferri. Sed haec regula quoad festum Patrocini modo fallit, quia in ali-

quibus locis gaudet translatione ac praesertim in statu ecclesiastico, ubi in praeepto est ex lege lata a S. M. Benedicto XIV., ideo quandoque accidit (in iis praesertim Ecclesiis, quae *Officiis* novem Lectionum abundant), ut, impedita dominica 2. Novbr. ob decursum vel octavae Omn. Sanctorum vel festi altioris ritus, solemnitatis Patrocini translatio protrahi debeat usque ad Adventum. Quae igitur Missa erit legenda? Id nondum declaratum fuerat a S. R. C., quia ad hanc usque diem quaestionem hanc definendam nemo proposuit, et quamquam Editor Calendarii Clericorum Regularium Minorum Villae Matriten. sollicitus fuerit de Vesperis ordinandis in concurrentia festi Patrocini translato cum festo Expectationis Partus B. M. V., ut ex Decreto 7. Martii 1779, non ullum movit dubium quoad Missam. Haec igitur quaestio enodanda supererat. Itaque cum, ut principio notatum est, hujusmodi festum neque ad peculiare Mysterium referatur neque habeat Missam propriam, ei forte congruere possent *Officium et Missa de tempore Adventus*, si dies assignata semper incideret in Adventu, quemadmodum in Basilica Patriarchali S. Mariae Majoris, ubi festum Translationis Imaginis affixum est dominicae ultimae Januarii, et semper de eo fit ex peculiari privilegio, etiam in occurso Septuagesimae, Sexagesimae aut Quinquagesimae, assignatum est *Officium cum Missa B. M. V. de tempore a Nativitate ad Purificationem*. Sed quoniam Missa de Patrocino non est votiva nec votivum est *Officium*, et raro ac accidentaliter accidit, ut festi translatio protrahenda sit usque ad Adventum, non universaliter ab omnibus sed ab aliquibus tantum, qui illud transferendi in casu impedimenti gaudent indulto, nec pro repositione ullam habent diem liberam ante Ad-

ventum, magis expedire videtur, quod nihil immutetur, nisi *Antiphona IX. ad Matutinum* in Officio et *vers. ad Graduale* in Missa. Secus enim in casu praefatae translationis opus foret aliud ordinare Officium, quod tempore quidem congrueret, quin tamen necessario id requirat festivitatis obiectum, cum illud, quod recitamus, aptissimum sit ad implorandum potentissimum Deiparae Patrocinium.

Quoad secundam dubii partem in *Antiphona et R. VII.* magis convenire videtur Lectio: *Tuum Sanctum Patrocinium*, quam: *Tuam Sanctam Festivitatem*, praesertim apud Franciscanos ex peculiari Rubrica, quae legitur ad domin. 2. Novbr., videlicet: *Omnia, ut in festo ad Nives et in Officio parvo, praeter lectiones secundi Nocturni. In fine Antiphona ad Magnificat et R. VII. dicitur: Tuum Sanctum Patrocinium.*

Cum sub 22. Aprilis 1741 obtenta fuerit facultas pro servanda in posterum uniformitate in Eremis sub Dominio Reipublicae Venetiarum recitandi Officium Patrocinii B. V. M. pro die 14. Novbr. utpote minime impedita ab alio Officio, modo compertum est, illam diem assignatam a S. C. R. Andreae Avellino (11. Julii 1739) pro omnibus sub regula s. Benedicti militantibus. Quaeritur: an possit, hoc non obstante, recitari Officium Patrocinii B. V. M. ipsa die 14. Novbr.? S. C. resp.: Posse recitari Officium B. V. M. die 14. Novbr. et remitti ad aliam diem non impeditam Officium s. Andreae Av. n. 4136 ad 1 die 19. Jan. 1743.

Ad dubium: Pro festo Patrocinii B. M. V. assignata fuit dom. 4. Oct., quaeritur: an occurrente festo altioris ritus adsit Decretum Generale, quo festum Patrocinii transferendum sit in primam diem non impeditam? et sic

pro omnibus festis concessis eodem modo impeditis?

S. eadem C. rescribendum censuit: „Juxta Decreta Officia affixa certis hebdomadae diebus, iis aliquando impeditis, eo anno omittenda sunt, ac proinde in casu, si Officium Patrocinii Deiparae in dioecesi Suessionen. fieri impediatur domin. 4. Oct., ex gratia transferri conceditur ad primam diem liberam.“

Atque ita rescripsit. n. 5215 ad 4 die 22. Julii 1855.

PATRONUS.

1) Capellae.

Cf.: *Credo in festis Titularib. Capellar. etc.; Titularis Capellar. etc.*

In oratione *A cunctis* subjungi non potest nomen Patroni Capellae propriae, si habeat. n. 4909 ad 3 die 12. Sept. 1840.

2) Cathedralis.

a) Nomin. in oratione „*A cunctis.*“

Cf.: *A cunctis; Confiteor; Suffragia; Concede* (decr. n. 4560); *Titular. Cathedr.*

In Hispania est praecipuus Patronus Regni B. ap. Jacobus et in Ecclesia Cathedr. Guadicensi s. Torquatus; cuius nomen dici debet?

S. C. resp.: In oratione *A cunctis* post nomina ss. ap. Petri et Pauli nomen Torquati tamquam Ecclesiae Cathedr. Patroni dumtaxat ponendum esse. n. 2856 ad 8 die 22. Jan. 1678.

S. Jacobus est patronus univers. Regnor. Hispaniae, ss. vero MM. Hemeterius et Caledonius fratres sunt patroni particulares Cathedralis et totius dioecesis Santand.

Quaeritur: Quis ex his patronis debeat nominari tam in confessione *post** nomina ss. Apost. quam in or.

*) Vd.: *Suffragia* (decr. n. 2749).

A cunctis, quando in missis haec oratio dicitur in Ecclesia matrice et in caeteris Dioecesis?

S. C. resp.: In qualibet Ecclesia nominandum esse patronum seu Titularem proprium ejusdem Ecclesiae. n. 4448 ad 15 die 22. Jan. 1793.

b) Officium Monialium.

Vd.: *Breviar. Monasticum* (decr. n. 4686); *Patron. Cath.* (Off. Regul.).

c) Officium Regul.

Cf.: *Titular. Cathedr.; Patronus Dioecesis; Festum Cathedr.; Moniales* (Breviar.).

Regulares in festis Patronorum Cathedralium locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipso tantum die festo et non octavas, et ita per quoscunque Regulares servari debere. n. 866 die 22. Junii 1630; n. 1589 die 1. Junii 1647; n. 1805 die 10. Junii 1656; n. 3302 ad 4 22. Nov. 1664.

Regulares teneri ad recitationem Officii proprii Sanctorum Patroni principalis Ecclesiae Cathedr. et Civitatis. n. 1805 die 10. Junii 1656.

3) Civitatis.

a) Festum, quod celebrand. est, si plures sunt Patroni?

In civitate, ubi sunt multi Patroni, servandum esse festum tantum unius ex principalioribus patronis. n. 1530 ad 2 die 4. Martii 1645.

Collen.

Apud Podium Bonitium in Etruria dioecesis Collen. celebris est memoria beati Lucii seu Luchesii Confessoris, qui pluribus exornatus virtutibus habitu tertii Ordinis s. Francisci suscepto in vita sanctis operibus, post obitum multis miraculis coruscavit, sicuti re-

Decreta authentica. Tom. II.

fert Martyrologium Romanum trium Ordinum ejusdem s. Francisci decimo-septimo Kalendas Maii. His permotus beatus Gregorius X. Summus Pontifex, dum ad Lugdunense Concilium iter institueret, Podium Bonitium visitans expetivit, ut sacro agmine instituto caput supradicti Beati circumferetur per Oppidum; quo ex tempore, pia traditione docente, habere coepit idem beatus Lucius veluti praecipuus Oppidi et Comitatus Patronus ejusque festum veluti Patroni servari. Novissimis tamen temporibus populo Oppidi Podii Bonitii accessit onus servandi etiam sub utroque praeepto festum s. Martialis patroni civitatis et dioecesis Collensis. Sed quum s. Martialis festivitas recurrat quotannis Kalendis Julii plerumque contigit eundem populum trium sibi succedentium dierum festivorum periodo gravari ea maxime tempestate, qua maturae messis fervent opera, nec adest tantum periculum violandi praeepti et occasio, sed etiam ipsamet necessitas. Quapropter clerus et populus Podii Bonitii et Comitatus ejusdem prae oculis habentes Epistolam sa. me. Benedicti Papae XIV. datam 14. Kal. Augusti anno 1749 Archiepiscopis et Episcopis Etruriae, quae praecipit cujusvis tantum praecipui quarumcumque civitatum vel locorum patroni pro veteri Ecclesiae catholicae instituto festum sub utroque praeepto esse servandum, Sac. Rituum Congregationi humillime supplicaverunt, ut elevato ad integrum praeeptum festum beati Lucii praecipui patroni ejusdem Oppidi et Comitatus, servilia opera in festo s. Martialis, necessitate tantum sacrificio adstandi servata, permitteret. Et Sacra eadem Congregatio nihil primitus declaravit, sed sub die 12. Novbr. 1831 Rmi Episcopi Informationem et votum requisivit. Quo praeepto iterum sub die 7. Aprilis superioris anni 1832 praeecepit, ut po-

Patrocini S. Joseph transferatur ad primam diem liberam juxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5098 die 10. Sept. 1847.

Pius PP. VI.

Cum, sicut Venerabilis frater modernus Archiepiscopus Burgensis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad augendum erga sanctum Josephum sponsum beatae Mariae virginis cultum et devotionem in suis civitate et dioecesi Burgensi officium Patrocini ejusdem sancti Josephi tertia dominica post Pascha, uti die propria et fixa, translatis ad aliam diem officiis etiam altioris ritus quotannis celebrari posse summopere cupiat, Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum in civitate et dioecesi Burgensi praedictis, officium Patrocini sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis semper celebrari possit dominica tertia post Pascha, uti die propria et fixa, translatis ad aliam diem officiis etiam altioris ritus, quae in supradicta dominica occurrere possunt auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 5. Febr. 1790.
(Bull. r. Continuatio t. VIII. p. 388. Ed. Rom. 1843.)

3) Missa.

Quid mutandum?

Vd.: *Missale* (Correctio, D. n. 29.).

4) Missa in casu translationis.

Vd.: *Missale* (Correctio, dub. XII.).

5) Off. votivum.

Pius PP. VII.

Decanum et Capitulum Cath. Eccles. Popajanensis specialibus gratiis et fa-

voribus gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum a clero Cathedralis Ecclesiae Popajanensis officium proprium cum missa Patrocini s. Josephi beatae Mariae virginis sponsi, ritu tamen semiduplici, in quolibet die decima nona mensis non impedito tamen officio novem lectionum, exceptis temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio sive absque jejunio, feria secunda rogationum et illis feriis, in quibus juxta rubricas sit reponendum officium dominicae aut festi translatis recitari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 24. Sept. 1805.
(Bull. r. Continuat. t. XII. p. 384.)

6) Translatio et Omissio.

Vd.: *S. Philipp. et Jacob. (vesp.)*; *Sept. dolor. B. V. M. in mense Sept.* (decr. n. 4516); *Credo in missa transl. Patroni.*

Supplicantibus Carmelitis Congreg. Hispan., ut praeferatur festum Patrocini s. Joseph festis Apostolorum et Evangel. attenta solemnitate maxima et maxime attenta dignitate personae s. Joseph supra apostolos, S. C. resp.: *Negative*. n. 4401 ad 18 die 16. Febr. 1781.

Vd.: *Infra* decr. n. 4110 et 4143, 5117 et n. 5113 ad 1 die 11. Sept. 1847.

Ad dubium 1.: Cum in Hispania universa ex concessione Apostolica recitentur Officia Patrocini S. Joseph Dominica tertia post Pascha et Dolorum B. M. V. Dominica tertia Septembris, si aliquo anno impediatur Festo altioris ritus, quaeritur: Utrum transferri possint in primam diem non impeditam, an potius debeant eo anno omitti?

2.: Et quatenus affirmative ad primam partem, quaeritur ulterius: An,

si Festum Patrocini extra tempus Paschale transferri contingat, deficientes Antiphonae Nocturnorum suppleri debeant de communi vel potius, omissis assignatis pro tempore Paschali, debeant omnes assumi ex alio Festo 19. Martii?

S. eadem Congregatio, exquisita sententia R. P. D. D. Apostolicarum Caeremoniarum Praefecti, referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Salviati, respondit

Ad 1.: „Affirmative ad primam partem*, Negative ad secundam.“

Ad 2.: „Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.“

Et ita declaravit et servari mandavit. n. 4442 ad 3 et 4 die 11. Sept. 1790.

Quum ex Indulto apost. domin. 3. post Pascha celebretur in Collegiata Nissae festum ss. mm. Aureli etc. ob eorum s. reliquias hic conditas sub ritu dupl. 2. cl. solemniter et si in eadem dominica occurrat in Calend. Dioeces. celebrari festum Patrocini s. Joseph sub ritu dupl. min., exoritur dubium: an Officium de Patrocino s. Josephi ob conformitatem cum Dioecesi rom. transferri perpetuo possit in domin. 4. proxime sequentem post Pascha, vel plane quotannis omitti debeat aut in aliam diem stabilem transferri et in quam?

S. C. resp.: Festum ss. mm. Aurelii etc. esse celebrandum in dom. 3. post Pascha et pro festo Patrocini s. Joseph esse assignandam perpetuo dom. 4. post Pascha et quoties haec sit impedita, transfer. esse Patrocinium ad primam diem non impeditam juxta rubricas. n. 4445 ad 2 die 11. Sept. 1790.

Ad dubium: Per decretum 26. Januarii 1793 in Santanderien. ad du-

* Vd.: Decr. n. 4110 die 22. Apr. 1741; n. 4366 ad 1 die 4. Sept. 1773.

bium 19. declaratur, quod in festo dupl. min. Patrocini S. Joseph attendi debeat ejusdem dignitas in concurrentia alterius festi dupl. min., etiamsi hoc fuerit festum primarium, ita ut in casu debeantur vesperae integrae Patrocino s. Josephi cum commemoratione tantum alterius festi. Hinc dubitatur: An dignitas s. Josephi attendi debeat in ejusdem festo Patrocini, ubi habet ritum 2. class. et concurrat cum festo alicujus Apostoli seu Evangelistae, quin jam obstat Rubrica 127. Breviarii Romano-Seraphici noviter reformati?

S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgato, ad relationem Emi et Rmi D. Card. de Somalia Urbis Vicarii, dictae Congregationis Praefecti et Pontentis, rescribendum censuit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Et ita declaravit. n. 4474 ad 14 die 2. Maii 1801.

Vd.: *infra* decr. n. 5117.

In Ordine Carmelitar. excalceatorum celebratur festum Patrocini s. Josephi Ordinis Protectoris Dominica III. post Pascha sub ritu dupl. 1. class. cum magno apparatu et externa solemnitate: occurrit aliquando in dioecesi Bracharensi eodem die festum s. Petri de Rates, ejusdem dioecesis Patroni, a PP. Carmelitis celebrandum cum ritu 1. class. sed absque apparatu et externa solemnitate. Quaeritur primo: An in tali occurso transferri debeat festum S. Petri de Rates, an potius festum Patrocini s. Joseph? Si vero responsum detur, quod transferatur festum Patrocini s. Joseph, quaeritur secundo: an translatis iisdem duobus festis, scilicet s. Petri de Rates et Patrocini s. Joseph in Conventu Monialium Carmelitar. excalceatorum Oppidi Viannae propter festum fugae B. M. V. Conventus Titularis eadem

die quandoque occurrens, praeferendum sit postea in repositione festum Patrocini s. Joseph, eo quod jam cessaverit quoad forum solemnitas s. Petri de Rates?

S. C. resp.: „Faciendum de festo s. Petri de Rates Patroni principalis; transferendum illud Patrocini S. Joseph.“ Ad secundum vero quaesitum ejusdem dubii: „Servandas esse Rubricas generales de translatione festorum.“ n. 4487 ad 5 die 14. Maii 1803.

Ad dubium: Utrum festum Patrocini s. Joseph, quod celebratur 3. dom. post Pascha sub ritu dupl., sit transferendum ad aliam diem, si in eadem dominica occurrat aliquod festum ritus superioris?

S. C. resp.: De translatione festi Patrocini S. Joseph censuit transferri posse sed decrevit, ut pro die festo Episcopus (Hispalen.) assignet certam aliquam diem, quae non sit dominica fixa. n. 4039 ad 2 die 26. Nov. 1735.

Haec declaratio facta pro regnis Hispaniae valet etiam pro aliis regnis, quibus idem Officium concessum est. n. 4198 ad 2 die 11. Jan. 1749.

Quando Dominica 3. post Pascha, cui affixum est festum Patrocini s. Joseph 2. cl., occurrit festum altioris ritus ut in regno Poloniae ss. Adalberti et Stanislai MM., utrumque ad populum celebre 2. cl. cum octava, faciendum est Officium de s. Adalberto M. sive de s. Stanislao M. in regno Poloniae aliquando occurrens in dom. 3. post Pascha cum facultate transferendi festum Patroc. s. Joseph in primam diem non impeditam, quae tamen non sit dominica. n. 4110 ad 1 die 22. Apr. 1741.

Ad dubium: Quando dom. 3. post Pascha occurrit festum s. Marci Ev. vel ss. ap. Philippi et Jacobi, debeatne Patrocinium s. Joseph transferri?

S. C. resp.: Pro gratia; potest transferri in diem non impeditam sed extra

dominicam. n. 4110 ad 2 die 22. Apr. 1741; n. 4366 ad 2 die 4. Sept. 1773.

Attenta dignitate personae, licet aequalis sit ritus inter festa s. Marci et ss. ap. Philippi et Jacobi, Officium de Patrocino s. Josephi est recitandum, si cum praedictis solemnitatibus occurrat. n. 4143 ad 1 die 11. Maii 1743.

Et Patrocino s. Joseph concurrente cum dictis festis, vesperae non sunt dimidiandae sed integrae persolvendae de Patrocino attendente ratione superioris allata. *Ibidem* ad 2; sed juxta decretum n. 4395 ad 11 die 18. Decbr. 1779 tam in concurrentia quam in concurrentia horum festorum vesperae integrae debentur apostolis et evangelistis.

Patrocinium s. Joseph non habens locum in dom. 3. post Pascha ob concurrentiam alicujus festi altioris ritus vel dignitatis pro eo anno omitteatur, ex novissimo decr. in Einsidlen. 5. Maii 1736. n. 4143 ad 3 die 11. Maii 1743; n. 4271 die 16. Julii 1757.

Vd. infra decr. n. 5117.

Ad dubium: Festum Patrocini s. Joseph celebratur in Ord. Seraphico dom. 3. post Pascha sub ritu dupl. 2. cl.; postea vero pro omnibus Ecclesiis Portugalliae exiit recentior concessio moderniori et correctiori Officio decorata sub eodem ritu pro dom. 2. Octobr. Queritur: an Provinciae Seraph. Ordinis in Lusitania existentes debeant se conformare cum clero et aliis Ordinibus tam in Officio novo quam in die pro Regno assignata? et quatenus negative: an Provincia, quae a primo anno Regni indultum recepit, possit deinceps sic permanere et ipsi Regno se conformare? S. C. resp.: Affirmative in omnibus. n. 4395 ad 10 die 18. Dec. 1779.

Neapolitan.

Dum Emus et Rmus D. Card. Xystus Riario-Sforza Archiep. Neap. inter

sibi commissum clerum non unam deprehendit sententiam in designatione Officii Divini, quando Dom. III. post Pascha, cui sub ritu dupl. 2. cl. affixum est Officium Patrocini s. Joseph sponsi B. M. V., incidit, sicut anno vertente, 7. Kal. Maii, S. Marci Ev. natali die sub ritu pariter dupl. 2. cl. recurrente, ac alii innixi Decretis S. R. C. 5. Id. Julii 1743 in Senen. et 7. Kal. Febr. 1793 in Santandariensi praecedentiam concedant Officio Patrocini S. Joseph, ac alii e contra juxta sancita de anno 1781 14. Kal. Martii asserant persolvendum de s. Marco Ev.; pastoralis sui muneris esse duxit S. eidem R. C. sequentia duo dubia proponere, ut cuicumque ulteriori opinionum varietati via penitus pracludatur, nimirum:

1. Cuinam ex praefatis Decretis in simili concurrentia sit inhaerendum seu quodnam ex enunciatis festis simul concurrentibus sit praeferendum?

2. An in casu quod standum sit Decreto de anno 1781 edito, an novissimum Decretum anni 1793 saltem de sola concurrentia intelligendum sit?

Super quibus dubiis a Secretario fideliter de more relatis in Ordinariis S. R. Comitibus ad Quirinales Aedes hodierna die habitis diligenti instituto examine S. ipsa C. rescribere rata est

Ad 1.: „Standum esse Decreto diei 16. Febr. 1781.“

Ad 2.: „Intelligendum de concurrentia et concurrentia simul.“

Atque ita rescripsit et declaravit. N. 5117 die 11. Sept. 1847.

PATROCINIUM B. V. M.

1) Festum.

Vd.: *Missa vot. B. V. M.* (in Sabb., decr. Pii VII. die 22. Junii 1819).

Benedictus XIII. benigne concessit, ut in toto Statu eccl. ab omnibus, qui

ad horas canonicas tenentur, Patrocini B. V. M. dom. 2. Novbr. cum Off. et Missa sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725, 15. Sept. 1736.

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater Archiepiscopus necnon dilecti filii Presbyteri et homines civitatis de Guatimala in Indiis Occidentalibus Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam praeseferebant, affectu, ejusdem cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in perpetuum pro eadem civitate et dioecesi de Guatimala ritum Officii Patrocini Beatae Mariae Virginis a duplici majori ad duplicem secundae classis sine octava elevari possit, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 3. Mart. 1796.

(Bull. r. Contin. t. X. p. 1.)

2) Missa in casu transl.

Vd.: *Patr. B. V. M.* (transl., decr. n. 4549 nota).

3) Translatio.

In Hispaniis Patrocinium B. V. M. sub dupl. maj. in dom. 2. Novbr., ab Ordinario assignata, celebratur. Queritur: si eveniat octava Omn. SS. vel alterius Sancti, qui habet octavam, vel aliud festum classicum dignius, adeo ut octava transferri non debeat, nec per commemorationem transire possit, an festum alia dominica ejusdem mensis vel prima die non impedita infra hebdomadam celebretur?